



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

De militia Caroli Avdacis. Cap. LXXI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**

erat, sed ab huius consiliarijs aliquot scriptæ fuerant in gratiam Ludouici Gallorum Regis, cui soli cum Pontifice parum conueniebat. Verum Pontifex progressus Anconam, ibi diem suum obiit, cœptamque morte sua turbauit, infectamque reddidit expeditionem. Hinc legitur in Ducis Epitaphio:

*Studio iuuandi Christiani nominis  
Nostras triremes misimus Papæ Pio:  
Ductu meo bellum parauit barbaris,  
Sed obstitit mors, quæ regnat potens nimis.*

*De militia CAROLI AVDACIS.*

C A P. L X X I.

xvi. Lotharingie & Brabantie Dux.

**P**HILIPPO Bono successit anno M. cccc. lxxi. Carolus filius, cognomento Audax & Bellicosus. Gessit enim multa bella: inter quæ maximè memorabilis est tristis in Leodienses expeditio, quam nondum eorum animi decoxerunt; quamque ego ad sacram militiam referre non audeo. Anno tamen M. ccc. lxxv. Infulis post votum patris sui, vouit ipse etiam hoc modo: Promitto Deo creatori meo, diuæ Virginis Mariæ eius matri, nobilibus matronis, ac phasiano, si Dn. paterque meus sacram, ut proposuit, seseque facturum sperat, susceperit expeditionem, eiusque sit voluntatis me comitem proficisci, voueo me iturum, ei que pro virili seruiturum.

Hic

Hic primus fuit, inquit Pontus, Belgarum Principum, qui nobiles ac potentes homines armis ius, quod habere sese existimabant, exsequi prohibuit.

*De sacra contra Turcas militia MAXIMILIANI Imperatoris.*

C A P. L X X I I.

PER Mariam vnicam Caroli Ducis filiam & hæredem Maximilianus Austriacus ad Ducatum peruenit: qui etiam, mortua charissima sibi coniuge, liberis nondum puberibus tutor datus est.

XVII. Lotharingie & Brabantie Dux, Maria nupta Maximiliano Imp.

Hic, vt Lazius scribit in Commentarijs genealogiæ Austriacæ, quintū bellum absens per suos in Carniola & Windorum Marcha aduersus Turcas administravit: qui facta incursione anno eiꝰ. cccc. xcii. miserè Carniolam, Ciliensem ditionem, Carinthiam & Styriam depopulati fuerant. Quo bello Georgij ab Herberstein virtus enituit. De hoc bello sunt carmina Ioannis Rami.

*Ip̄ Mahometigenas deduxit & agmina turmas,  
A quibus affectus clade Liburnus erat.*

PHILIPPI Ducis & Regis Castelle pacata fuisse tempora.

C A P. L X X I I I.

PHILIPPVS annum agens ætatis decimum sextum, præsentem patre Maximiliano, Louanij inauguratur anno eiꝰ. cccc. xciv.

XVIII. Lotharingie & Brabantie Dux Philippus Rex Castelle.

H 2 die